

In R folgt: Anno domini 1458 die vicesima mensis octobris examinatus est per dominum Johannem Kaldissum heretice pravitatis inquisitorem quidam lolhardus nomine Johannes Becker natus de quadam villa prope Aquisgranum ad duo miliaria. Et in Maguncia de heresi convictus, quam usque in finem pertinaciter tenuit et defendit, ideoque velud hereticus combustus est ibidem in quodam loco, qui dicitur spelunca hereticorum, vulgariter dy keczergrub. Et tenuit articulos omnes et singulos prescriptos seu suprasignatos sine revocatione. — Finis anno 67 (*bezieht sich wohl auf die Abschrift*).

3.

Brief des Inquisitors Heinrich Kalteisen O. P., Bischof von Drontheim, an Erzbischof Dietrich von Mainz, 20. Okt. 1458

St.-A. Koblenz Abt. 701 Cod. 176 fol. 1^v

Reverendissimo in Christo patri et domino domino Theoderico archiepiscopo Maguntino ac sacri imperii principi electori etc. Henricus dei et apostolice sedis gracia archiepiscopus Nydrosiensis ac pravitatis heretice inquisitor, fidem catholicam corde credere atque corpore defensare.

Quia placuit colendissime dominationi vestre me vocare ad inquisitionis negotium, contra quendam lolhardum Henne Becker nominatum feci diligenciam presentibus prelati, doctoribus, etiam secularibus plurimis eum examinando. Qui repertus est confessus previo iuramento de confitenda veritate ad interroganda nulla adiuncta tortura vi aut metu subscriptos articulos, quos tamen, quia laycus indoctus est, per se fingere non potuisset, nisi heresiarcharum antiquorum erroribus per libros theutonicos seductus fuisset. *Qui¹⁾ in hoc ab antiquis hereticis differt, quod*

¹⁾ *Kalteisen benutzt hier den Prolog des Zisterziensers Alanus von Lille († 1202) zu De fide catholica contra haereticos sui temporis; dieser schrieb an Graf Wilhelm VIII. von Montpellier über die Katharer: qui in hoc ab antiquis haereticis differunt, quod illi humanis rationibus fidem nostram expugnare conati sunt, isti vero nulla ratione humana vel divina freti ad voluntatem et voluptatem suam monstruosa confingunt. Olim vero diversi haeretici diversis temporibus diversa dogmata et adversa somniasse leguntur, ... nostris vero temporibus novi haeretici, imo veteres et inveterati, veterantes dogmata ex diversis haeresibus unam generalem haeresim compingunt et quasi ex diversis idolis unum idolum, ex diversis monstribus unum monstrum et quasi ex diversis venenatis herbis unum toxicum commune conficiunt; Migne PL. 210, 307 f. Diesen Hinweis und andere Hilfe bei der Korrektur verdanke ich Dr. G. Opitz.*